



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**F. Ioannis Andreae Coppensteinii, Ordinis Prædicatorum
Theologi & Parochi Heidelbergæ Castigatio Apologiæ
Calvino-Catecheticæ**

Coppenstein, Johann Andreas

Moguntiaë, 1626

III. De Odio proximi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35247

III. De Odio proximi.

MINISTER, ad odium proximi naturam nos propensos esse manifestum putat ex 1. Cor. 3. *Cum in vobis sit liuor, &c. nonne Carnales estis?* Id Ephel 4. Col. 3. dicitur. *Vetus bon. o. animalu homo, sapientia animalis, &c.* Ergo falsa est doctrina Parochiana, quod homo natura propensus est ad amorem Dei & proximi.

RESPONDEO. Sequi nego: Vetus homo est carnalis, animalis; quia in eo est liuor, &c. Ergo ex natura est propensus ad odium proximi. Nam antecedens est vitiatæ naturæ non ipsiusmet naturæ simpliciter: at vitia in actu sunt voluntatis cuiusque liberæ; non necessitatis naturalis: vt notauit ad Catechismi autoritates litera b, c.

Manet igitur, Naturam in essentia esse bonam: in peccato originali vitiatam licet, non necessitatam tamen; ad Malum; Quin, minus propensam ad odium Dei & proximi; quã ad amorem vtriusque: Quia, hoc est naturæ essentialis; illud est vitij accidentale. Vide Notulam meam in Excaluinizatione hic: *Quam tu dissimulans præteristi. An quoddam contra naturam philosophari horruisti? At, quoddam contra Conscientiam ac Scientiam; nil expauiisti.*

AD QVÆST. VIII.

An adeo corrupti sumus, vt ad bene agendum prorsus non simus idonei, & ad omne vitium procliues?

CALVINVS Instit. l. 1. c. 5. § 7. & c. 7. §. 4. 5. affirmat: *Scriptura testatur nos prorsus ineptos, nedum impares obseruanda legi esse.*

MINISTER cum Catechisi affirmat idem de irrogenitis: Suadetq; scripturis catecheticis. 1. Culpat ideo Parochum, quod pro *Certe* substituit *Minimè*. 2. Quod ad Scripturæ testimonia responderit in Catechisi; *Hac de sola nudaq. natura dicuntur; non de coniuncta gratia?* Cum neque Catechistæ mens sit alia; proinde addentis, *Nisi per Spiritum sanctum regeneremur*. 3. Hoc quia Parochus præ somno fortè, vel erapula non potuit animaduertere, non contra nos, sed contra seipsum pro nobis disputat; futiliterque pro *Nisi per Spiritum*, &c. poluit præsertim si per Spiritum; &c. Quare approbat, quod carpit.

RESPONDEO Miser Apologista: miserior causa, talem nacta Patronum; qui ingenio

nullo; dolo multo, causæ patrocinium ab aduersario affectatè quærit & captiosè, ac falso. Doceo sic & simul

DICO AD I. Fateor, & asserui, Catechisin cum allegatis Scripturis agere de irrogenitis: Ergo, infert Minister, probas, quod carpis. At nego, per meum *Minimè*, irrogenitos adeo corruptos, quin possint solis naturæ viribus aliquid *Morale Verum* cognoscere, & *Morale bonum* operari: ideoque reprobob illud catecheticum *Certe*. Ergo reprobob, quod carpob: & me carpit Minister falsò. Istud verò meum *Minimè*, demonstratum vide in meo *Luthero-Caluinista par. 4. q. 24. In Antichristo par. 4. q. 21. 24. In Genealogia par. 4. q. 12. 13.*

AD II. Meam & Catechisos mentem esse eandem, falsum est. Ecce asserta mea: 1. Irrogeniti cum corrupta natura sunt idonei ad *Morale bonum* operandum solis naturæ viribus. 2. Scriptura Catechetica loquitur de corruptæ naturæ impotentia ad operandum bonum supernaturale iustificans, ac meritorium. Vtrumq; negant Catechismus, Minister, Calvinista; & fingunt sibi omnimodam naturæ corruptæ *adversariu* & ad omne bonum. Ad hanc Luthero-Caluinianam tenebram quæ Lucis Romano-Catholicæ conuentio?

AD III. (Tua recipe verba:) *Hoc quia Pseudo-parochus præ somno fortè, seu erapula, aut malitia excæcata, vel igno antia, non potuit anima luerere; non contra nos, sed contra semetipsum disputat: futiliterq; meum Præsertim si per, &c. reprobob.*

AD QVÆST. IX.

An DEVS homini iniuriam facit, qui quasi ab eo in Lege flagitet, quæ præstare non queat?

I. *An DEVS homini præcipiat impossibilia?*

CALVINVS Instit. l. 2. c. 7. §. 3. 4. 5. *Impossibile legi obseruationem diximus. §. 4. Itaque si legem intuemur, nihil aliud possumus, quam desperare. Idem: Impossibile appello, quod nec fuit vnquam; & ne in posterum sit, Dei ordinatione & decreto impeditur.*

MIR-